



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. III, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 32rb-33ra  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem tertiam quaeritur utrum omnes angeli reducuntur ad unum genus.

Videtur quod non, quia quaecumque sunt unius generis, communicant in una potentia generis, ut dicitur IV Metaphysicae. Sed angeli non communicant in una potentia generis, cum sint immateriales, ergo non reducuntur ad unum genus.

Praeterea omne genus praedicatur univoce et aequaliter de suis speciebus. Sed essentialia angelorum, quae consequuntur naturam communem ipsorum, inveniuntur in angelis secundum prius et posterius ut habetur in littera; ergo non reducuntur ad unum genus.

Contra. Genus substantiae est tantum unum genus. Sed omnes angeli sunt in genere substantiae, ergo omnes angeli reducuntur ad genus unum.

Responsio. Hic sunt tria videnda. Primo ostenditur unde sumantur genus et differentia in materialibus. Secundo ostenditur ex hoc quod omnes angeli ad unum genus reducuntur. Tertio ponuntur quaedam obiectiones contra determinata.

Quantum ad primum sciendum quod, cum genus et differentia pertineant ad naturam cuiuscumque speciei, oportet in omni specie, cuius quidditas est forma simplex per se subsistens, quod ab eadem forma ratio generis et differentiae sumatur, ita quod genus et differentia dicant explicite per modum plurium, id quod dicit quidditas speciei implicite et per modum unius. Et inde est, cum esse rei sit extra quidditatem et differat ab ea realiter. Impossibile est quod a quidditate sumatur ratio generis et ab esse sumatur ratio dicere. Qualiter autem a forma simplici ista duo sumantur? Advertendum quod forma cuiuscumque angeli hoc habet quod est immaterialis et pure intellectualis naturae et in potentia ad suum esse sicut subiectum in potentia ad suum proprium accidens per se. Habet etiam eadem quidditas quod sit immaterialis et in potentia ad determinatum gradum essendi, per quem differt a quidditate cuiuslibet angeli alterius secundum quod quilibet tanto plus participant de actualitate et minus de potentialitate quanto plus appropinquant ad Deum qui est actus purus a quo procedunt omnia per ordinem quendam, quia quae a Deo procedunt ordinata sunt. Ab illa ergo proprietate communi, quae est immaterialitas sive intellectualitas, sumitur in eis ratio generis, sed a determinato gradu actualitatis et quidditatis actualis, secundum quem gradum distinguitur quidditas huius angeli a quidditate alterius angeli, sumitur ratio dicere, ita quod eadem est omnino natura a qua sumitur ratio generis et dicere. Quod etiam in compositis ex materia et forma invenitur, quamvis genus sumatur a materia et differentia a forma, quia nisi esset una natura in animalibus a qua sumitur ratio generis et dicere, tunc vel oporteret quod omnia animalia irrationalia essent eiusdem speciei vel in quolibet esset aliqua perfectior forma quam sit anima sensitiva, quod est inconveniens. Quod patet sic.

Si enim in brutis genus et differentia sumantur ab aliqua natura, oportet necessario quod differentia sumatur a nobiliori et genus ab ignobiliori. Vel igitur in brutis genus sumetur a sensualitate et differentia ab aliqua alia forma, vel e converso, scilicet differentia a sensualitate et genus ab aliqua natura convenientiori.

Si secundo modo, cum sensualitas in omnibus sit, differentia sumetur ab eodem in omnibus brutis et sic omnia erunt eiusdem speciei, cum differentia generi adveniens constituat speciem. Si vero genus sumatur a sensualitate, tunc differentia sumetur ab aliqua forma perfectiore, dato quod sit alia et alia natura, et sic in bruto est aliqua alia natura nobilior anima sensitiva.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. III, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 32rb-33ra  
transcribed by Andrea Colli

Hoc est contra Augustinum in *Ecclesiasticis Dogmatibus*, c. IX: Neque – inquit – duas animas esse dicimus. Est etiam contra Philosophum qui non dicit in eodem plures animas, sed partes et potentias animae: De parte – inquit – animae, etc. , in III *De anima* et in II : Potentiarum autem animae. Et ideo oportet dicere quod a natura sensitiva in communi accipiatur ratio generis et a diverso gradu essendi eiusdem naturae in diversis animalibus sumatur ratio differentiae; et sic patet primum.

Ex hoc statim apparet quod omnes angeli sunt unius generis, scilicet substantiae, quia omne illud quod habet esse aliud a quidditate, cui per se non in aliquo esse debetur, /32va/ est in genere substantiae. Sed quilibet angelus habet esse aliud a quidditate et quaecumque alia creatura per se subsistens, ut in primo ostensum est, cuilibet etiam per se debetur per se esse non in alio subsistens, cum quidditas angeli sit simplex forma subsistens. Ergo quilibet angelus est in genere substantiae. Sed genus substantiae est genus unum, sicut est praedicamentum unum, ergo omnes angeli reducuntur ad genus unum.

Modo contra ista arguitur ab aliquibus. Dicunt enim quod est error hic : quod genus et differentia sumantur ab una natura, et hic error fundatur in duobus. Primum est quod natura angeli non est composita ex materia et forma. Secundum est quod in una re non est ponere, nisi unam formam substantialem. Quod autem in angelis sit materia, ostendunt sic. Quia secundum Augustinum ubi est mutatio, ibi est materia, ergo, a destructione consequentis, ubi non est materia, nec aliqua mutatio. Sed solus Deus est immutabilis secundum fidem, ergo ipse solus est immutabilis.

Praeterea, si ab eodem sumitur ratio generis et dicere, tamen a diversis secundum considerationem, tunc apud eundem intelligentem numquam genus et differentia essent simul, quia quando aliquis intelligit rem aliquam, ut indeterminatam, non intelligit eam determinatam. Et ita quando intelligit eam sub ratione generis, non potest ei copulare intellectum dicere, quod falsum est.

Praeterea propter considerationem nostram non attribuuntur rebus materialibus vel immaterialibus praedicamenta accidentalia. Nam si considero aliquem, ut est bonus, non propter hoc est bonus, et sic de aliis. Sic etiam est de ipsis naturalibus, quia propter hoc non est corvus albus, si considero eum ut album. Si ergo consideratio nostra non potest attribuere praedicamenta accidentalia, multo minus essentialia, scilicet genus et differentiam. Unde ad rationem dicunt quod non habent pro inconvenienti, quod scilicet in bruto sit anima perfectior quam sensitiva, immo hoc etiam antiquitus ponebatur. Ad illa dicendum.

Ad primum de materia, dico quod falsum est. Non enim est ibi invenire inter duos aliquam materiam, quia certum est quod essent eiusdem ordinis et tunc una esset in potentia ad alium angelum et, per consequens, angeli essent ad invicem transmutabiles, quia impossibile est quod una materia eiusdem rationis existens sub diversis formis sit incorruptibilis, quia, existens sub una, habet appetitum ad aliam et sic annexa est privationi, quod est impossibile dicere in angelis.

Si autem tu dicas quod in caelo est materia eiusdem rationis et tamen materia sub una stella existens non est in potentia ad aliam stellam, quia sua potentia totaliter saciatur ; sine dubio non videtur mihi quomodo hoc sit possibile, quod materia non sit in potentia ad omnes formas, ubi invenitur materia eiusdem rationis existens et careat altera, cum non habeat privationem annexam. Tamen de caelo est aliud, ut apparebit XII distinctione, ideo hic dimitto.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. III, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 32rb-33ra  
transcribed by Andrea Colli

Ad argumentum Augustini de mutatione, dico quod mutatio duplex est : una ad esse, et tali mutatione carent immaterialia, alia est mutatio ad agere et recipere et illam bene habent immaterialia. Deus autem nec sic nec sic est mutabilis.

Ad secundum dicendum quod intellectus est triplex : unus, qui est acceptivus intentionum, cui respondet incomplexum, de quo determinatur in libro Praedicamentorum et ille non simul concipit intentionem generis et differentiae. Alius est intellectus compositivus cui respondet oratio de quo determinatur in libro *Peri hermeneias*. Tertius est intellectus collativus cui respondet argumentatio de quo determinatur in *Nova Logica*, ex illo intellectu componente bene potest apprehendi intentio generis et differentiae.

Praeterea argumentum est magis contra eos quam pro eis, quia, si a diversis naturis genus et differentia sumantur, adhuc minus poterit concipi ab uno intellectu.

Ad tertium dicendum quod, licet intellectus noster non possit attribuere rebus intellectis aliquas formas accidentales vel essentielles, tamen intellectus potest eandem naturam vario modo concipere et intelligere, et conceptam secundum diversos conceptus nominare et sic plura praedicata eidem rei attribuere.

Praeterea ratio generis et dicere, cum sint de secundis intentionibus, causantur ex operatione intellectus. Dicendum ergo quod sunt quaedam predicamenta accidentalialia, quae consistunt in re extra realiter, ut albedo et huiusmodi, et de talibus est verum quod dicitur; alia sunt quae operationem intellectus sequuntur, scilicet quae sunt de secundis intentionibus, sicut de intentione generis et dicere et de talibus non est verum.

Ad illud quod dicunt ad rationem Thomae dicendum quod est magnum inconveniens quod in bruto sit nobilior forma sensitiva, quia ex hoc sequitur ipsum habere intellectum cum anima sensitiva immediate secundum ordinem formarum subordinetur intellective.

Ad primum argumentum principale dicendum quod immo communicant in una potentia, in quantum scilicet omnes conveniunt in una natura intellectuali, quae diversificatur in diversa secundum diversum gradum essendi.

Ad secundum dicendum quod genus praedicatur de /32vb/ omnibus speciebus aequaliter quantum ad intentionem non quantum ad esse, ut patet de figura et numero in III Metaphysicae, sed hoc in figuris non contingit, ut ibidem dicitur.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum substantiae separatae debuerunt esse in numero magno. Dicendum quod doctores moderni loquuntur aliter de numero substantiarum separatarum quam Philosophus locutus fuerit. Posuit enim Philosophus istas naturas separatas habere ordinem ad istas secundum ordinem moventis et finis; et ideo secundum numerum primorum motuum conatus est ad invenire numerum substantiarum separatarum. Doctores autem moderni, intendentes doctrinae beati Dionysii, dicunt substantias separatas in multitudine excedere omnem materialem multitudinem. Et ratio est, quia, cum perfectio universi sit id quod Deus maxime intendat, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto sunt in maiori excessu creata a Deo. Sicut autem in corporalibus attenditur excessus



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. III, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 32rb-33ra  
transcribed by Andrea Colli

secundum magnitudinem, ita in spiritualibus attenditur excessus secundum multitudinem. Videmus autem quod corpora incorruptibilia, quae sunt magis perfecta inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter corpora corruptibilia. Nam tota sphaera activorum et passivorum est unum modicum respectu corporum supercaelestium; et ideo rationabile est quod substantie immateriales excedant secundum multitudinem substantias non separatas, quasi incomparabiliter», et ideo quasi infinitae sunt species angelorum; et creditur ab aliquibus, quod in maiori multitudine quam natura possit sustinere, sint productae substantiae immateriales.

Unde dicunt aliqui quod distinctio specierum non est sic accipienda ibi sicut homo et equus, sed istae species sunt immediatissimae et ordinatissimae, ita fere quod non apparet, nisi distinctio modica, sicut inter leporem et cuniculum.

Secundo quaeritur utrum angeli per suam essentiam intelligant. Videtur quod sic, quia ut habetur XI Metaphysicae et III De anima in hiis quae sunt sine materia idem est intellectus et quod intelligitur. Illud autem quod intelligitur non est idem intelligenti nisi ratione eius quo intelligitur. Ergo quae sunt separata a materia, ut in angelis, idem est intellectus et quo intelligit et sic per essentiam omnia intelligunt.

Contra. Dionysius IV c. De divinis nominibus dicit quod angeli illuminantur rationibus rerum; ergo cognoscunt per rationes eorum et non per suam essentiam.

Responsio. Dicendum quod intellectus angeli non potest intelligere omnia per essentiam suam, sed oportet quod intelligat per species, circa quod intelligendum est quod id, quo intellectus noster intelligit, comparatur ad ipsum sicut forma, quia forma est id quo agens agit. Ad hoc autem quod aliqua potentia perfecte per formam compleatur, oportet quod ipsa contineat in se omnia illa ad quae potentia se extendit. Quia enim forma ignis existens in materia non continet omnia ad quae materia est in potentia; ideo forma ignis existens in materia non complet totam potentiam eius, sed ipsa existens sub forma ignis adhuc est in potentia ad formas alias. Potentia autem intellectiva angeli extendit se ad intelligendum omnia, quia obiectum intellectus est ens vel verum commune. Si igitur angelus per essentiam suam posset omnia intelligere, oporteret quod essentia sua omnia comprehenderet perfecte, quod non est verum, quia ipsa determinata est ad certum genus et speciem, sed illud est proprium solius divinae essentiae, quae infinita est, ut in se simpliciter omnia perfecte comprehendat. Et ideo solus Deus omnia cognoscit per essentiam suam, angelus autem non. Ideo oportet quod intellectus angeli speciebus rerum informetur.

Contra ista arguitur et primo quod non est possibile plures species esse in intellectu angelico. Secundo quod supremus angelus potest omnia potissime per suam essentiam intelligere.

Praeterea arguitur sic. Impossibile est intellectum informari diversis formis, quarum una ad aliam non ordinatur. Sed si plures species essent in intellectu angelico, non essent ibi, nisi per informationem. Ergo cum una ad aliam non ordinetur, non potuerunt plures esse in intellectu angelico.

Praeterea si dicatur, verum est de actu perfecto, non de actu imperfecto.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. III, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 32rb-33ra  
transcribed by Andrea Colli

Contra. Non est nisi duplex actus : primus et secundus. Si igitur species illae sunt in intellectu aut secundum actum primum aut secundum actum secundum, qui est operatio; non secundum actum qui est operatio, quia hoc nullus ponit.

Item nec secundum actum primum, quia sicut informatio speciei est actus primus, ita et informatio figurae. Sed impossibile est idem corpus informari diversis figuris secundum Algazelem ; ergo nec possibile est intellectum informari diversis speciebus.

Secundo arguunt quod per /33ra/ suam substantiam possit angelus superior omnia cognoscere, quia omnia illa potest cognoscere per essentiam suam ad quae sua essentia se extendit. Sed essentia angeli supremi, cum sit perfectissima in gradu naturae, continet perfectiones omnium rerum inferiorum; ergo cognoscendo se, cognoscit omnia alia. Et confirmatur ratio, quia primum in unoquoque genere habet in se perfectiones omnes illius generis, sicut albedo omnes perfectiones colorum; ideo cognoscens albedinem perfecte cognoscit omnes colores.

Ad primum dico quod informatio non impedit quin ibi possint esse plures species, quia cum plures intentiones contrariae possint esse in eodem medio, simul et in intellectu possint esse plures species; sed informatio respectu actus eliciti, ut scilicet intellectus feratur super quamlibet speciem simul, hoc non est possibile. Unde plures species possunt esse informantes intellectum, non tamen simul, ut secundum eas actu intelligat, quod est esse in abdito.

Ad secundum dico quod non est simile de figuris et speciebus, quia recipiuntur secundum quantitatem ipsae figurae ; et ideo una maxime impedit aliam, cum semper recipiatur secundum actum perfectum non sic autem species.

Ad tertium dico quod omnes perfectiones non sunt distinctae in supremo angelo, nec etiam in albedine perfectiones aliorum colorum, sed habet tantum unam modo supremo et perfectissimo; ideo qui cognoscit albedinem non cognoscit alios colores, nec qui cognoscit perfectionem primi angeli, propter hoc non cognoscit alios angelos.

Ad primum in oppositum dicendum quod, «sicut sensus in actu est sensibilis in actu, ut dicitur in II De anima, non ita quod vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis quae est in sensu, sed quia ex utroque fit unum sicut ex actu et potentia, ita intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo per quam intelligit, sed quia illa similitudo est forma eius. Idem est autem quod dicitur, in hiis quae sunt sine materia, idem est intellectus et quod intelligitur, ac si diceretur quod intellectus in actu est intellectum in actu. Ex hoc enim aliquid est intellectum in actu quod est immateriale ».

Iuxta hoc quaeritur utrum angelus in primo instanti suae creationis potuerit esse malus.

Dicendum quod, quamvis de hoc quandoque fuerint opiniones, tamen modo tenetur ab omnibus quod impossibile fuit angelos in primo instanti suae creationis esse malos et assignant aliqui rationem sic. Illa quae inter se ordinem successionis important, impossibile est esse simul, sed peccatum angeli est operatio necessario creatione posterior ; ergo termini istarum operationum non possunt esse simul; sed terminus creationis angeli est esse, terminus suae malae operationis est quod sit malus; ergo non potuit esse malus in primo instanti in quo cepit esse. Sed ista ratio non valet. Habet enim tantum



University of Cologne  
Department of Philosophy  
Thomas Institute



*This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033*

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. III, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 32rb-33ra  
transcribed by Andrea Colli

locum in motibus temporalibus, qui necessario successionem important, sicut si motus localis ad alterationem sequitur, non potest in eodem instanti terminari alteratio et motus localis. Sed si mutationes illae sunt instantaneae, simul et in eodem instanti potest esse terminus primae et secundae mutationis, sicut in eodem instanti in quo illuminatur luna a sole, illuminatur aer a luna. Manifestum est autem quod creatio actio instantanea est et similiter motus liberi arbitrii in angelis, quia discursu rationis non indigent, ut postea apparebit. Ideo nihil prohibet in eodem instanti esse terminum creationis et terminum liberi arbitrii; et ideo assignatur alia ratio et melior, quod impossibile fuit angelum in primo instanti malum fuisse per actum liberi arbitrii, quia quamvis in eodem instanti in quo res creatur vel fieri simul incipere possit operari, illa tamen operatio quae simul incipit cum esse rei, est ab agente a quo habet esse; ut ignis statim cum est incipit moveri sursum, talis motus est ab agente. Unde illa res quae habet esse ab agente quod potest esse causa defectivae operationis statim in primo instanti, cum est, poterit operari defective, sicut tibia quae nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipiat ire, incipiet claudicare. Si autem semen quod est causa tibiae non posset esse defectuosum, impossibile esset per ipsum generare tibiam claudam. Modo agens, quod angelum in esse produxit, est Deus qui non potest esse causa defectivae operationis, sive creationis. Impossibile est igitur, quod res aliqua in primo instanti suae creationis incipiat agere tortuose.

TEACHER